



Patriarchatus Latinus Ierusalem
البطريركية اللاتينية القدسية
المكتب الليتورجي
Officium Liturgicum

Die 20 Octobris
S. Cornelii, Centurionis.

Ant. ad introitum

Deus omnes hómines vult salvos fieri,
et ad agnitionem veritatis venire.

Collecta

Deus, qui Cornélio centurióni Angelum tuum misisti,
ut viam ei salútis osténderet,
da nobis quæsumus,
in salvatióne ómnium libéntius operári,
ut una cum eis, in Ecclésia tua, ad te perveníre possímus.
Per Dóminum.

LECTIO PRIOR (prop्र.)

«Et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est»

Léctio Actuum Apostolorum 10, 25-27. 34-35. 44-48

Factum est, cum introísset Petrus, óbvius ei Cornélius
prócidens ad pedes adorávit. Petrus vero levávit eum dicens:
«Surge, et ego ipse homo sum».

Apériens autem Petrus os dixit: «In veritáte compério
quóniam non est personárum accéptor Deus, sed in omni
gente qui timet eum et operátur iustítiam accéptus est illi.»

Adhuc loquénte Petro, cécidit Spíritus Sanctus super

I Tim. 2, 4

omnes qui audiébant verbum. Et obstupuérunt qui ex circumcísione fidéles qui vénerant cum Petro, quia et in natiónes grátia Spíritus Sancti effúsa est; audiébant enim illos loquéntes linguis et magnificántes Deum.

Tunc respóndit Petrus: «Numquid aquam quis prohibére potest ut non baptizéntur hi qui Spíritum Sanctum accepérint sicut et nos?» Et iussit eos in nómine Iesu Christi baptizári. Tunc rogavérunt eum ut manéret áliquot diébus.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

97, 1. 2-3ab. 3cb-4 (R. : cf 2b)

R. In conspéctu géntium revelávit Dóminus salutáre suum.

1 Cantáte Dómino cáanticum novum,
quia mirabilia fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et bráchium sanctum eius. R.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
Recordáitus est misericórdiae suæ
et veritatis suæ dómui Israël. R.

3 Vidérunt omnes térmíni terræ
salutáre Dei nostri.
Iubiláte Deo, omnis terra.
erúmpite, exsultáte et psállite. R.

ALLELUIA

Rom. 10, 13

R. Alleluia V. Omnis quicúmque invocáverit Nomen Dómini, salvus erit. R. Alleluia.

EVANGELIUM

«Apud nullum inveni tantam fidem in Israël»

† Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum 8, 5-11

In illo témpore :

Cum introisset Iesus Caphárnaum accéssit ad eum centúrio rogans eum et dicens: «Dómine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquéatur». Et ait illi: «Ego véniam, et curábo eum».

Et respóndens centúrio ait: «Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus». Nam et ego homo sum sub potestáte, habens sub me milites, et dico huic: «Vade» et vadit, et alio: «Veni», et venit, et servo meo: «Fac hoc», et facit.»

Audiens autem Iesus, mirátus est, et sequéntibus se dixit: «Amen dico vobis; Apud nullum invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis quod multi ab oriénte et occidénte vénient et recúmbent cum Abraham et Isaac et Iacob in Regno cælórum.»

Verbum Dómini.

Super oblata

Réspice, Dómine, in fáciem Christi tui,
qui pro ómnibus redemptiōnem trádidit semetípsum,
ut per eum ab ortu solis usque ad occasum
nomen tuum magnificétur in géntibus,
et una ubique maiestáti tuæ exhibeátur oblátio.
Per Christum.

Ant ad communionem

Rom 10, 12

Non enim est distíctio Iudæi et Græci; nam idem Dóminus ómnium; dives in omnes qui ínvocant illum.

Post communionem

Sacraménta quæ sumpsimus, Dómine Deus noster,
illam nobis fidem innútriant,
quam beáto Cornélio mirabíliter largíri dignátus es.
Per Christum.